

fuerit ut praefertur vobis et eisdem successoribus auctoritate praedicta de uberioris dono gratiae imperpetuum reservantes, iure tamen parochialis ecclesiae in omnibus aliis semper salvo. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae concessionis et reservationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum VI. Idus Octobris pontificatus nostri anno secundo.

Pro T. de Nyem.
Franciscus.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig. Das an Fäden von gelber und rother Seide befestigt gewesene Bleisiegel ist abhanden gekommen.

No. 99. 1391. 10. Oct.

P. Bonifacius IX. ertheilt dem Rathe die Befugniss, in der neuerrichteten Rathhauscapelle auch im Falle eines über die Stadt verhängten Interdicts in der Stille Messe lesen und andere gottesdienstliche Handlungen verrichten zu lassen.

Bonifacius episcopus servus servorum dei dilectis filiis . . proconsulibus et . . consulibus opidi Lipzk Merseburgensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Devotionis vestrae sinceritas promeretur, ut votis vestris in his praesertim quae ad vestrarum salutem animarum cedere valeant quantum cum deo possumus favorabiliter annuamus. Hodie siquidem nobis pro parte vestra exposito, quod pro eo, quod negotia universitatis opidi Lipzk Merseburgensis diocesis in teatro dicti opidi vos oporteret frequentius pertractare, missis et aliis divinis officiis dum ea in parochialibus aut aliis ecclesiis eiusdem opidi pro tempore celebrarentur non possetis commode interesse, quamobrem vos zelo devotionis accensi ac volentes terrena in coelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare de vestris et huiusmodi communitatis bonis ad laudem divini numinis nec non ad honorem et sub vocabulo gloriosae virginis Mariae quandam capellam in huiusmodi teatro in loco ad hoc congruo et honesto de novo construere ac illam pro uno presbytero seculari, qui in illa missam et alia divina officia teneretur pro tempore celebrare, competenter dotare desideraretis; nos hoc vobis, ut capellam praefatam construi facere in loco praedicto illamque pro huiusmodi presbytero, qui missam et alia divina officia huiusmodi teneretur in dicta capella ut praemittitur celebrare, in qua vos et iidem successores vestri missas et alia divina officia huiusmodi pro tempore audire diocesani loci et alterius cuiuscunque super hoc licentia seu consensu minime requisitis libere possetis, auctoritate apostolica per nostras litteras duximus indulgendum, ius patronatus eiusdem capellae seu praesentandi eundem presbyterum seu rectorem ad eandem capellam postquam constructa et dotata foret ut praefertur vobis et successoribus vestris in proconsulatus et consulatus officiis pro tempore in opido praedicto nihilominus reservantes, prout in ipsis litteris plenius continetur. Nos igitur praemissorum intuitu vos paterno prosequentes affectu ac potioribus gratiis et favoribus communitate volentes